

» Nota IV. Cum Sanchez, lib. VII, dist. LXIV, n. 19, quod cognatio legalis, matrimonio superveniens, debiti petitionem minime impediatur, cum nullus textus ad hoc invenitur, et odiosa non debeant extendi. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 713.)

ADNOTATIO LXXXIX.

Lib. IV. Decretal. Tit. XIV, De consanguinitate et affinitate, n. 65; pag. 475.

DE AFFINITATE ORTA EX MATRIMONIO CONSUMMATO SED Nullo.

« Si queras an etiam affinitas orta ex matrimonio consummato, ac nullo postea ob aliquod impedimentum dirimens declarato, censi debeat restricta a Tridentino usque ad secundum gradum, essem in sensu negativo cum Barbosa, hic n. 5, et Wagnerek; quando quidem copula in tali matrimonio habita bona fide dici nequeat formaliter fornicaria, sed materialiter duntaxat: ideoque attendenda est juris communis dispositio ita ut neuter ex contrahentibus inire possit matrimonium cum consanguineis alterutrius respective usque ad quartum gradum inclusive. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 723.)

ADNOTATIO XC.

Lib. III. Decretal. Tit. XV, De frigidis et maleficiatis et impotentia coeundi, n. 60, pag. 482.

DE IMPOTENTIA CONJUGIBUS SUPERVENIENTE PER MALEFICIUM.

« De inhabilitate ex maleficio proveniente mentio facta fuit ab Alexandro III in decretali Ambianensi episcopo rescripta, ut ex integro ejusdem textu apud Gonzaloz, sed a sancto Raymundo mutilate relata in cap. 2 *Quod sedem*, hoc tit. Sic enim legitur in laudato integro textu: « Verum licet Ecclesia Romana non consueverit propter naturalem frigiditatem nec propter alia maleficia » (intellige si supervenerint matrimonio jam contracto) legitime conjunctos dividere... »

» Quidquid autem sit de efficacia horum maleficiorum ad causandam impotentiam generandi, illorum reos sequenti hac poena puniendos statuit Gregorius XV, const. *Omnipotentis Dei*, 20 martii 1623, ibi:

« Quapropter ut tam exitiosa scelera a Christi fidelibus arceantur, gravioribus poenis vindicanda duximus. Motu itaque proprio, tenore presentium decernimus, precipimus et mandamus ut, constituto quod aliquis pactum cum diabolo fecerit et, a fide apostatando, maleficiis sive sortilegiis unam seu plures personas ita laeserit ut ex ma-

» leficio seu sortilegio mors secuta sit, etiam primo lapsu, curia seculari tradatur, debitis poenis puniendus. Qui vero, similiter apostatando, pactum cum diabolo, ut praefertur, fecerit, et maleficio seu sortilegium commiserit ex quo, licet mors secuta non sit, infirmitas tamen, divortia, impotentia generandi, sive animalibus, frugibus, vel aliis fructibus damnum notabile provenerit, muro claudi, sive perpetuis carceribus in sancto inquisitionis Officio, ubi illud existit, fabricandis mancipari debeat. Qui vero similibus delinquentium notitiam habuerint eos episcopo sive inquisitori denuntiare teneantur. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 725.)

Cf. D. Josephum Bizouard, in curia Divionens advocatum, *Des rapports de l'homme avec le démon, essai historique et philosophique*; Parisiis, apud Gaume et Duprey, 1863 et seqq. 6 vol. in 8; et specimen hujus operis in ephemeride *Revue des scienc. ecclés.*, t. VIII, pag. 86.

ADNOTATIO XCI.

Lib. IV. Decretal. Tit. XV, n. 61; pag. 483.

CONSTITUTIO SIXTI QUINTI CONTRA EUNUCHOS.

Die 29 jun. 1587, Sixtus V per litteras in forma brevis episcopo Novariensi, Apostolicæ Sedis in regnis Hispaniarum legato, sic mandavit: « Cum frequenter in istis regionibus eunuchi quidam et spadones, qui utroque teste carent, et ideo certum et manifestum est eos verum semen emittere non posse, quia impura carnis tentigine atque inmundis complexibus cum mulieribus cum se commiscent, et humorem forsan quemdam similem semini, licet ad generationem et ad matrimonii causam minime aptum, effundunt, matrimonia cum mulieribus praesertim hunc ipsum eorum defectum scientibus contrahere praesumant, idque sibi licere pertinaciter contendunt, et super hoc diversæ lites et controversiæ ad tuum et ecclesiasticum forum deducantur, requisivit a nobis fraternitas tua quid de hujusmodi connubiis sit statuendum. »

» Nos igitur attendentes quod, secundum canonicas sanctiones et naturæ rationem, qui frigida naturæ sunt et impotentes, iidem minime apti ad contrahenda matrimonia reputantur, quodque praedicti eunuchi aut spadones, quas tanquam uxores habere non possunt, easdem habere ut sorores volunt; quæ experientia docet tam ipsos, dum se potentes ad coeundum jactant, quam mulieres quæ eis nubunt, non ut caste vivant sed ut carnaliter invicem conjungantur, prava et libidinosa intentione, sub praetextu et in figura matrimonii, turpes hujusmodi commixiones affectare, quæ cum peccati et scandali occasionem præbeant et in animarum damnationem tendant, sunt ab Ecclesia Dei prorsus exterminandæ.

» Et insuper considerantes quod ex spadonum hujusmodi et eunuchorum conjugii nulla utilitas provenit, sed potius tentationum illecebræ et incentiva libidinis oriuntur, eidem fraternitati tuæ per praesentes committimus et mandamus ut conjugia per dictos et alios quoscumque eunuchos et spadones, utroque teste carentes, cum quibusvis mulieribus defectum praedictum sive ignorantibus sive etiam scientibus contrahi prohibeas, eosque ad matrimonia quomodocumque contrahenda inhabiles auctoritate nostra declares, et tam locorum ordinariis ne hujusmodi conjunctiones de cætero fieri quoquomodo permittant interdicas, quam eos etiam, qui sic de facto matrimonium contraxerint, separari cures, et matrimonia ipsa sic de facto contracta nulla, irrita, et invalida esse decernas. Eos etiam qui sic jam contraxerunt, si appareat illos non ut caste simul vivant contraxisse, sed actibus carnalibus operam dare, simul in uno et eodem lecto cum praedictis mulieribus dormire convinctur, omnino similiter separari cures. »

ADNOTATIO XCII.

Lib. IV, Decretal. Tit. XV, n. 65; pag. 483.

DE TACTIBUS INTER CONJUGES IMPOTENTIA PERPETUA SUPERVENIENTE LABORANTES.

« Cum autem ab Ecclesia, in poenam contractæ affinitatis aut cognationis spiritualis, aut a natura propter impotentiam, usus matrimonii prohibetur, certum est 1º oscula, amplexus, cæterasque blanditias et tactus etiam periculosos licere, saltem interdum, et in quantum nutriendo amori inserviunt. Cum enim vinculum conjugale individuaque societas in conjugibus sic impeditis maneat, manet simul amicitia fovendæ obligatio eo strictior quo facilior est infidelitatis aut oblivionis suspicio. »

» Certum videtur ex dictis 2º, etiamsi in illis conjugalis amoris consuetis testimoniis concupiscentiæ motus exsurgant; imo etiamsi, præter intentionem et consensum, semen effundatur, non ideo peccare conjuges, nec ad ea derelinquenda cogendos esse, cum æquam et proportionatam pollutionem materialem negligendi, nempe caritatis et pacis servandæ, causam habeant.

» Certum est adhuc 3º ex dictis quoscumque amplexus et tactus libidinosos, pollutionis proximum periculum inducentes, sub mortali prohibito esse; quia, cum pollutio sit intrinsece mala, mortale sine dubio est eam directe velle et procurare.

» An vero, si absit pollutionis periculum, liceant tactus, aspectus, etc., turpes et libidinosi, non fovendæ amicitia, sed sedandæ et utrumque decipiendæ concupiscentiæ gratia facti? communiter concedunt theologii, inter quos B. Liguorius *De matrimonio*, cap. II, dub. II, n. 933, quia sunt

veri conjuges, et status conjugalis, sicut copulam, ita etiam tactus et delectationem veneream honestat; tandem quia, licet ad copulam utpote impossibilem referri nequeant, ad sedandam concupiscentiam amicitiamque fovendam et augendam inservire possunt.

« Cæterum, ait B. Liguorius loco citato, in praxi impeditus ordinarie debet ab hujusmodi tactibus, praesertim turpibus, ob periculum proximum vel pollutionis, vel petitionis copulæ contra prohibitionem Ecclesiæ. » Unde quidquid sit de theoria, in praxi ab his turpibus voluptatibus, tanquam ab immunditiis lethalibus, impedito tutum est remove, eo magis quo, nedum concupiscentiam mitigent, eam potius accendant. » (Lupellus, *Tractatus de castitate*, Parisiis, apud Lecoffre 1858; tom. I, pag. 337.)

ADNOTATIO XCIII.

Lib. IV. Decretal. Tit. XV, n. 67; pag. 484.

AN ALIQUANDO MULIER TENEATUR INCISIONEM PATI UT VIRO APTETUR?

« I. Si impotentia a mulieris nimia aetate defluat triplex est sententia.

» Alii quos citat Sanchez, lib. VII, disp. XCIII, p. 31, ad incisionem patiendam eam damnant, dummodo grave non imminet mortis periculum.

» Alii inter quos Pontius, Pontas, Collet, tom. IV, *Tract. de dispens.*, part. I, cap. XIV, p. 693; B. Ligor. lib. VI, tract. VI, *De matrim.*, cap. III, dub. II, n. 1099 qui, licet sequentem communionem et probabiliorum speculative habeat, practice tamen ad istam accedit, censent mulierem ad eam incisionem non teneri 1º quia nullibi hanc incisionem mulieri præcepit Ecclesia; 2º quia mulier ea solum conditione corporis sui potestatem viro tradidisse censenda est ut ille sibi proportionatus esset; 3º quia, ut impedimentum temporale reputetur, non sufficit ut sine vitæ periculo, sed etiam illæsis pudicitia legibus auferri possit; atqui impotentia quæ, non nisi manu chirurgi, illæsis pudoris legibus auferri nequit: quid enim turpius quam ut virgo nuda oculis et manibus chirurgi subjiciatur, incisionemque factam simul et gravem pati cogatur? Certe paucæ sunt sexus personæ quæ hac conditione, si ante matrimonium sibi subeunda proponeretur, contrahere vellent, nisi forte idem sit chirurgus qui conjux. Ita Collet.

» Communior tandem et probabilior opinio, quam propugnant Sanchez, loc. cit. n. 32, Bonacina, *De matrim.* quæst. III, punct. XIII, n. 7; Sporer, *Theolog. sacram.*, part. IV, cap. I, sect. I, n. 128, mulierem ad incisionem, etiam cum gravi molestia et dolore, non vero cum gravi mortis periculo, subeundam teneri docet.

» Et probant primam partem vi contractus et matrimonii natura. Nam non quaecumque corpus,

sed corpus copulæ aptum, mulier viro suo tradidit, ac proinde ad illud, quantum in se est, aptandum etiam cum gravi incommodo tenetur. Etenim non est de matrimonio ac de cæteris contractibus qui a voluntate contrahentium, parte læsa indemni, dissolvi possunt; natura sua indissolubile est, ac proinde, si virgo incisionem reuatur, damnatur vir innoxius et inuitus ad castitatis perpetuæ pugnas et tentationes, forte cum suæ salutis dispendio tollerandas, non malitia quidem, cum in bona fide supponatur, sed saltem imprudentia et temeritate mulieris, quæ ante nuptias sibi prospicere debuisset. Porro id non æquum est. Ergo.

» Probat secundam partem, nimirum virginem ad hanc incisionem, sub gravis morbi discrimine patiendam, non teneri, quia ad tantum periculum se obligare noluit, nec id exigit contractus matrimonialis natura, cujus lex est prius suæ saluti quam prolis generationi providere. Insuper, sicut jam monuimus, quæ non nisi sub tanto discrimine sanari potest, impotentia jam non temporalis, sed perpetua jure et merito judicatur. Ergo.

» Ad argumenta autem adversariorum facile respondent: 1º Longe minorem esse debere in maritata quam in innupta virgine pudoris sensum, quæ saltem unius viri, mariti scilicet, aspectibus et tactibus se sponte subiecit, imo et chirurgorum qui hodie, saltem apud nos, fere soli nunc parturientibus mulieribus subveniunt: 2º laudabilem esse sine dubio pudicitiam, sed præstantiorem adhuc urgentiorem esse justitiam; ideoque innuptæ quidem vitam ipsam pudori postponere, non vero conjugate licere quæ, juxta B. Paulum, corporis potestatem non habet, illiusque proinde curam, illæso mariti sui jure, negligere nequit.

» II. Si impotentia e sola mulieris virginitate procedat, cujus resistentiam vir, præ nervorum debilitate, vincere nequit, major est adhuc difficultas.

» Negant Pontius et alii apud Ligor. *ibid.* n. 1100; Salmantic., tract. IX, *De matrim.*, cap. XII, punct. 10, n. 121, etc. virginem ad eugii seu claustrum membranacæ scissuram patiendam teneri; tum quia per ipsam non stat quominus debitum reddat, ideoque non ipsi sed viro, penes quem defectus reperitur, adhibenda sunt medicamenta; tum quia per matrimonium conjux corpus suum tradit viro, prout a natura destinatum est, perfodiendum. Atqui natura claustrum virginale alio instrumento quam virili reseccandum non destinavit. Ergo.

» Probabilius autem affirmant Sanchez, *De matrim.*, lib. VII, disp. XCIII, n. 34; B. Ligor. *ibid.* n. 1100. Nam licet defectus a viro procedat, et ideo illi primum remedium infirmitati querendi onus incumbat, si tamen sua sanari non possit infirmitas, mulieri secundo occurrit obligatio impedimenti, quod alter vinci nequit, removendi seu claustrum virginale scissuram patiendi. Cum enim verum sit matrimonium, sui corporis dominium in virum transtulit Ergo id omne, quod sine gravi

incommodo potest ut illo potiatur facere tenetur. Porro sane femineo pudori durum est fœdam istam incisionem pati, sed non ita grave incommodum videtur ut matrimonii juribus præstare possit. Et aliunde molestiæ et dolores, quæ illam comitantur, nec magnæ nec extraordinariæ sunt, sed cunctis virginibus in primo coitu communes. Ergo. » (Lupellus, *Tract. de castitate*, t. I, pag. 159.)

ADNOTATIO XCIV.

Lib. IV. Decretal. Tit. XVI, De matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ, n. 4; pag. 485.

DE MATRIMONIIS CELEBRATIS CONTRA VETITUM ECCLESIE.

In *Viennensi*, anno 1581, lib. III *Decretor. S. C.* pag. 156 legitur:

I. Utrum, prohibitionem facta ab ordinario ne parochus aliquos desponsaret, ita tollatur jurisdictio ipsius parochi ut ad contrahendum matrimonium contra talem prohibitionem non sit legitimus parochus?

II. Utrum matrimonium in quo intervenit vicarius parochi, non inuitus sed volens, contra prohibitionem tantum ordinarii, sit validum vel potius invalidum, quia non intervenit sacerdos habens jurisdictionem, cum sit sublata ab ordinario?

III. Si inuitus et compulsus per vim adsit sacerdos, dum contrahitur matrimonium, præcedente vel non præcedente dicta prohibitionem, utrum tale matrimonium subsistat?

S. C. respondit ad I. Valere matrimonium contractum coram parochi, cui interdictum est ab episcopo ne interveniat. Ad II. Esse validum. Ad III. Subsistere.

» Nota I, cum Giraldo, *Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 726, hanc inhibitionem, justa interveniente causa, fieri posse et debere, nedum a Papa, et episcopo, sed etiam a parochi, extrajudicialiter tamen, donec causa cognoscatur, ut colligitur ex decretali relata hoc eod. tit. cap. 3. *De muliere.*

» Nota II. Causas justas hanc inhibitionem indicendi esse: 1. Sponsalia priora cum tertio inita. 2. Gravem suspicionem latentis impedimenti, tam dirimentis quam impedientis. 3. Timorem rationabilem gravium discordiarum et scandalorum inde probabiliter eventurorum.

» Nota III. Contrahentes contra inhibitionem mortaliter peccare, cum violent præceptum legitimi superioris in re gravi, quod injungi potest etiam sub pœna excommunicationis, ut cap. 2, *Ex litteris*, hoc eod. tit. quæ infligi nequit nisi ob mortale peccatum.

» Nota IV. Cum in decretali *Litteræ*, cap. 1 hujus tituli, non exprimitur qua pœna plectendi sint matrimonium contrahentes contra inhibicio-

nem, infertur eam esse arbitrariam pro qualitate contumaciæ et facti circumstantiis, puta pecuniariam. Imo eadem pœna puniri possunt tam parochus quam testes, si dolose matrimonio intervenerint, ut ex sequentibus decretis Congr. Conc. in *Florent.* sub die 10 febr. 1629, libro XIV *Decretor.* pag. 35.

» I. An episcopum possit punire contrahentes matrimonium contra ejus prohibitionem contractum?

» II. An eos qui contrahunt coram parochi ex causa justa dissentiente?

» III. An eos qui contrahunt omissis denuntiationibus?

» IV. An possit punire testes intervenientes in supra dictis casibus?

» V. An possit in eisdem casibus punire pœnis pecuniariis, loci tamen piis applicandis.

S. C. respondit ad I, II et III, episcopum posse. Ad IV, posse, quatenus testes sint in dolo. Ad V, posse.

» Et in *Savonensi*, 2 mart. 1595, respondit matrimonium contractum, servata forma concilii, esse validum, etiamsi antea episcopus inhibuisset parochi, licet hic puniri valeat ob inobedientiam; lib. VIII *Decretor.*, pag. 106. »

ADNOTATIO XCV.

Lib. IV. Decretal. Tit. XVI, n. 13, pag. 486.

DE SOLEMNITATIBUS NUPTIARUM TEMPORE ADVENTUS ET QUADRAGESIMÆ PROHIBITIS.

Sic se habet D. Carrière, Sancti-Sulpitii presbyter, et vicarius generalis Parisiensis, *Prælect. theolog. de matrim.* Parisiis, 1837, apud Méquignon juniorem, t. II, pag. 176 et seq.: « Concilium Trid. non prohibet simpliciter nuptias, sed solemnes nuptias, et talem esse illius sensum constat. 1. Ex Rituali Romano, in quo hæc leguntur: « Meminerint parochi a dominica I Adventus... solemnitates nuptiarum prohibitas esse, ut nuptias benedicere, sponsam traducere, nuptialia celebrare convivia; matrimonium autem omni tempore contrahi potest. » 2. Ex Benedicto XIV, qui ita expresse asserit et probat, *Institut.* LXXX, n. 3 et 14. 3. Ex decisione S. Congregationis, quam allegat idem Benedictus XIV, *ibid.* n. 20. Igitur ex jure communi licet matrimonium contrahere, sed prohibetur pompa apparatusque nuptiarum, ut ex jure canonico, ex theologis et ex canonistis ostendit idem Benedictus XIV, n. 4, 5, 6. Per illam autem pompam intelliguntur præcipue nuptiarum benedictiones, quæ minimæ adhibendæ sunt, cum vitiis temporibus agitur matrimonium, imo adhiberi nequeunt sine gravi peccato, *ibid.* n. 7. Per illas benedictiones non designantur variae ceremoniæ in Rituali præscriptæ, et præsertim benedictio quæ datur per verba: *Ego vos con-*

jungo, etc., sed tantum benedictiones solemnes quæ continentur in missa *pro sponso et sponsa*; quæ ideo non est celebranda cum matrimonio agitur tempore Adventus vel Quadragesimæ, *ibid.* n. 8-11. Pariter permittitur, ex decisione S. Congregationis, traductio sponsæ ad aedes sponsi, dummodo absque solemnitatibus fiat, *ibid.* n. 21, 22.

» Observant tamen varii auctores, et inter alios ipse Benedictus XIV, *ibid.* n. 14, ea de re standum esse locorum consuetudini, ideoque matrimonium agi non posse absque licentia, in locis ubi consuetudo viget ut non agatur, etiam sine pompa et apparatu. Porro talis esse videtur usus generalis in Gallia... Igitur apud nos, tempore vetito, celebrari non potest matrimonium absque dispensatione episcopi.

» Circa illam dispensationem observandum... quando conceditur dispensatio, non ideo fieri possunt benedictiones solemnes de quibus supra; ita Benedictus XIV, n. 12, qui dubitat an ut aliter fiat permittere possint episcopi, et asserit saltem incertum semper fore an adsit sufficiens causa; *ibid.* n. 15. »

ADNOTATIO XCVI.

Lib. IV. Decretal. Tit. XIX, De divortii, n. 25; pag. 505.

CANON QUINTUS CONCILII VERMERIENSIS CONTRA INDISSOLUBILITATEM MATRIMONII PERPERAM ALLEGATUR.

Cap. *Si qua mulier*, hoc titulo, ex decretali desumpta a canone quinto concilii apud Vermeriam habiti tempore Pippini regis anno 752, sic se habet: « Si qua mulier mortem mariti sui cum aliis consiliata est, et ipse aliquem illorum se defendendo occiderit, poterit ipse, post mortem uxoris, si voluerit, aliam ducere; ipsa autem insidiatrix poenitentia absque spe conjugii stet subjecta. » In hoc canone, prout refert Gonzalez, legitur etiam: « Et si probare potest ipse vir eam (uxorem) ream esse consilii (circa mortem mariti), potest, ut nobis videtur, ipsam uxorem dimittere, et, si voluerit, aliam ducere. » Ne tirones in studio juris pontificii decipiantur inferendo ex allatis verbis, consulto omissis a sancto Raymundo in collectione decretalium Gregorii IX, matrimonium dissolvi posse ob hanc causam etiam quoad vinculum, eos monitos velim cum Berardo ad Gratiani canones, tom. I, part. I, cap. XLII, de concilio Vermeriensi, hunc esse intellectum dicti canonis quod tum demum post mortem uxoris maritus dimittere aliam superducere possit. Etenim Vermeriensis concilii Patres discrimen constituerunt inter uxorem, quæ vitam mariti fuerat insidiata, a marito dimissam, et virum, qui insidias ab uxore aut ab adultero passus fuerat, dimittere

» tem; et quemadmodum uxori indixerunt ut in
» perpetua maneret pœnitentia, nec etiam post
» mariti obitum alteri cuicumque jungeretur, ita
» e converso marito hoc onus minime imposuerunt,
» licet maritus ipse adulterum se defendendo in-
» terfecerit, qui propterea non perpetuæ pœniten-
» tiæ adducendus judicatur, sed ipsi novum post
» mortem prioris cum alia conjugium celebrare
» permittitur.» (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.*,
part. I, sect. 733.)

Item cap. 1, *Mulieres*, Tit. XX, sic se habet:
« Mulieres, cum pro aliqua licita causa a propriis
viris fuerint separatæ, totam dotem præcipimus
sibi reddi. » « Hic tirones in studio juris pontificii
monitos velim, inquit Giraldus, ibid. sect. 737,
ne si forte legerent hunc integrum textum *Mu-
lieres* apud Gonzalez, in quo, post verba *sibi reddi*,
leguntur et hæc alia (consulto omissa a S. Ray-
mundo): « Et post expletum annum accipiant
» alios viros, si voluerint, similiter et vir uxorem, »
» decipiantur putantes matrimonium dissolvi posse,
» etiam quod vinculum, ob quamcumque licitam
» causam divortii, cum juxta catholicam doctrinam
» antecedenti sectione traditam, intelligenda sint
» dissolvi duntaxat quoad vinculum quando decla-
» ratum fuerit invalidum iusse ab initio. Quod au-
» tem in dictis posterioribus verbis permittat textus
» transitum ad secunda vota post annum, relationem
» habet ad dispositionem legis Cæsareæ relatæ in *L. Si
» constante, C. De repud.* id prohibentis ob incer-
» titudinem prolis, quæ cæteroquin ratio, licet non
» procedat in viro, mirum est quod Patres concilii
» hic æquales fecerint conjuges in contrahendo se-
» cundo matrimonio. »

ADNOTATIO XCVII.

Lib. IV. Decretal. Tit. XXI, De secundis nuptiis,
§ 1, n. 21; pag. 536.

NEMO PERMITTATUR MATRIMONIUM CONTRAHERE NISI
IN CURIA ECCLESIASTICA PROBATUS SIT STATUS LIBER
CONTRAHENTIUM.

« Cum discrepent doctores in statuendo qualis
esse debeat certitudo de morte prioris conjugis,
antequam alter superstes transeat ad secunda vota,
relictis privatis eorumdem doctorum opinionibus,
crederem, inquit Giraldus, ibid. sect. 656, habendam
esse pro certa regulâ praxim tribunalis S. In-
quisitionis, a quo hujusmodi transitus nunquam
permittitur nisi constet de morte conjugis vel per
authenticum testimonium seu fidem, puta præfecti
nosocomii, aut alterius loci, in quo forte decesse-
rit, sive rectoris ecclesiæ in qua sepultus fuerit;
sive etiam per juratum testimonium duorum tes-
tium, deponentium de visu obitus, aut etiam unius
tantum, omni tamen exceptione majoris. »

Huc spectat instructio S. Congr. universalis In-
quisitionis sub die 21 aug. 1670, a Clemente X

confirmata const. *Cum alias*, pro examine illorum
testium qui inducuntur pro contrahendis matri-
moniiis tam in curia Eminentiss. cardinalis Urbis
vicarii, quam in aliis curiis cæterorum ordinario-
rum. Hanc instructionem studiosi perlegent sive
apud Giraldum loco citato, sive in Bullario magno.
Hic tantum inseremus duo documenta sequentia,
ex eodem Giraldo desumpta:

« I. Questa sagra Congr. del Sant' Offizio con-
» siderando che spesso quei che vogliono contrarre
» matrimonio fuori della loro patria, essendo po-
» veri, per la distanza della curia del vescovo, se-
» non con grave spesa ed incomodo di mandarvi
» i testimonj ad esaminarsi; perciò scrive circo-
» lamente a tutti gli ordinari d'Italia, conceden-
» dogli facoltà di suddelegare i loro vicarij foranei
» a ricevere la deposizione de' testimonj sopra lo-
» stato libero delle persone di quel vicariato, pur-
» chè osservino l'istruzione del Sant' Offizio, con-
» fermata da Clemente X nella sua costituzione
» *Cum alias*, prop. XIII. Quali vicarij foranei do-
» vranno mandare l'attestazione dell' esame a' pro-
» prj ordinari, e questi conceder gratis a chi vuol
» far matrimonio la fede autentica del suo stato
» sizione de' testimonj fatta avanti il tal vicario
» deputato. In questo modo V. E. si degnerà con-
» tenerli. E le bacio umilmente le mani. Di V. E.
» umilissimo e devotissimo servitore Alb. card. Cmo.
» Roma 31 ott. 1699, »

« II. Al signore vicario di Napoli. — Consultano
» cotesti giudici deputati dal sign. card. Arcives-
» covo sopra i matrimonj se le diligenze prescritte
» da questa S. Congr. che si devono fare prima di
» dar licenza di contrar matrimonj, si abbiano da
» usare con coloro che, posti nell' articolo della
» morte, bramano contrar matrimonio per liberarsi
» dal peccato, e per altro accidente simigliante.
» E questi miei signori rispondono che in tal caso
» non sono necessarie, quando però non vi sia
» tempo di poterle fare; ma vogliono che risanato
» l'infermo, non possa venire alla copula ed alla
» coabitazione, se non saranno fatte ed eseguite le
» medesime diligenze. Potrâ V. S. dar notizia del
» senso della S. Congr. ai medesimi Giudici. Ed
» il Signore la conservi sempre. Come fratello, il
» card. BARBERINO. Da Roma li 10 luglio 1630. »

ADNOTATIO XCVIII.

Lib. IV. Decretal. Tit. XXI, § II, n. 34;
pag. 538.

REGULARITER SECUNDÆ NUPTIÆ NON SUNT BENE-
DICENDÆ.

« Duo in decretali *Capellanum*, hoc tit. statuun-
tur: I. Quod si capellanus (id est parochus) bene-
dixerit secundo nubentibus, suspensionem ab officio
et beneficio incurrat. II. Quod pro obtinenda ab-

» solutione ab hujusmodi suspensione, postquam
» promulgata fuerit ab ordinario, mittendus sit ad
» Sedem apostolicam.

» Sed juxta hodiernam Ecclesiæ disciplinam ex
» communi doctorum sententia, quos refert Thesaur-
» us, *De pœnis ecclesiast.* cap. II, vº *Matrimonium*,
» est in arbitrio episcopi eum punire vel suspensionis
» pœna, vel alia; per consequens sublata est pariter
» missio ad Sedem apostolicam, cum absolutio non
» sit amplius Papæ reservata: idque nedum ex re-
» cepta praxi, sed etiam ex extravag. Joannis XXIII
» quæ licet in nulla decretalium collectione repe-
» riantur, refertur tamen a Covarruvia, part. II, cap.
» VIII, § II, n. 2, quem sequuntur canonistæ omnes.

» Hujusmodi benedictio prohibetur etiam ab
» Urbano III, nulla tamen adjecta pœna, ut ex ejus
» decretali relatæ in cap. 3, hoc eod. titulo. Quæ de-
» cretalis, utpote posterior illa Alexandri, nudam
» tantum prohibitionem præ se ferens, causam for-
» tasse dedit ut pœna in contrafacientem infligenda
» remitteretur arbitrio episcopi.

» Quamvis autem, de rigore utriusque decretalis,
» inspecto generali loquendi modo, hæc benedictio
» interdicta intelligatur, tam si uterque quam si alter
» ex conjugibus, sive femina, sive vir, ad secundas
» nuptias transeat; hodie tamen ex generali consue-
» tudine, fere ubique recepta, dari potest si unus
» tantum dicitur primo nubens. Quæ quidem praxis
» conformis est Rituali Romano jussu Pauli V edito,
» verum cum limitatione, ibi: « Caveat etiam paro-
» chus ne, quando conjuges in primis nuptiis be-
» nedictionem acceperint, et in secundis benedi-
» cat, sive mulier, sive etiam vir ad secundas
» nuptias transeat. Sed ubi ea viget consuetudo ut
» si mulier nemini unquam nupserit, etiamsi vir
» aliam uxorem habuerit, nuptiæ benedicantur, ea
» servanda est. Sed viduæ nuptias non benedicat,
» etiamsi ejus vir nunquam uxorem duxerit. »
(Rubricæ de Sacram. matrimonii.)

ADNOTATIO XCIX.

Lib. IV. Decretal. Tit. XXI, § II, n. 49;
pag. 541.

DE PœNIS CONTRA VIDUAS INTRA LUCTUS ANNUM
NUBENTES.

« In utraque decretali scilicet cap. 4, *Super
illa*, et cap. 5, *Cum secunam*, h. t. declaratur
mulierem secundo nubentem intra annum luctus
non mereri infamiæ notam a civilibus legibus in-
flictam, L. scilicet I et II, § 1, ff. *De his qui no-
tantur infamia*, et L. I et II, C. *De sec. nupt.* tam
in ipsam, quam in maritum qui eam ducebat,
atque etiam in patrem mariti, cum posset filium
prohibere.

» An autem una cum infamia hodie sublata sit
» etiam aliæ pœnæ, ab iisdem legibus contra viduas
» intra dictum annum nubentes decretæ, affirmati-

» vam sententiam amplectitur Van-Espen, part. II,
» tit. XV, cap. III, n. 12, ibi: « Nec tantum pœna
» infamiæ sed eadem ratione aliæ pœnæ contra
» viduas intra annum luctus nubentes legibus ci-
» vilibus decretæ, hodie omnino sunt sublata; et
» ita judicatum refert Antonius Faber ad Codicem,
» lib. V, tit. V, definit. I et ibid. nota V, *Infertur*.
» Itaque non est deterior conditio viduæ inter
» annum quam post annum nubentis. Id ipsum
» notavit Gudelinus, lib. I, *De jure noviss.* cap. XII,
» ubi etiam ex Julio Claro monet quod, si mulier
» non quidem intra annum luctus nubat, sed luxu-
» riose vivat, et ex stupro pariat, eam hanc infa-
» miam et alias pœnas a legibus decretas non eva-
» dere. Insuper si quæ pœnæ in odium secundarum
» nuptiarum per leges decretæ fuerunt, hodie su-
» blatae sunt; at ea quæ tam in pœnam iterantium
» nuptias in favorem liberorum primi matrimonii,
» aliave consideratione statuta sunt, etiamnum in
» usu sunt, ut observat Gudelinus, loco cit. et
» Zypæus in *Notitia jur. belgici*, Tit. de secund.
» nupt. non enim, ait, mens D. Pauli fuit aliquid
» corrumpere ex publicis legibus, jura parentum
» et liberorum juste moderantibus. »

» Cæterum a muliere ita festinanter secundo
» nubente non contemnenda est præcipua ratio ob
» quam citata lex II eidem prohibuit transitum ad
» secunda vota, ut scilicet evitaretur sanguinis tur-
» batio, et ne consequenter incertum fieret quis natæ
» prolis pater esset, an primus, an secundus mari-
» tus. Nec itidem contemnenda hæc altera quod, si
» mox a morte mariti alteri nuberet, non levem
» suspicionem ingereret perpetrati adulterii, viro
» adhuc vivente, vel saltem jam pridem cogitasse de
» secundis nuptiis cum eo cui nubere festinat.

» Sublatæ etiam sunt pœnitentiæ quæ imponi
» solebant bigamis seu nuptias iterantibus, ut ex
» can. 3 synodi Neocæsariensis, relato a Gratiano,
» can. 8, *De his*, caus. XXXI, quest. I; de quibus
» meminit etiam Baronius ad annum 314, n. 91:
» « Non quod secundum matrimonium contrahendo
» peccent, inquit, sed quod suam ipsius inconti-
» nentiam manifestent, et bigamiam, quæ in hu-
» manæ imbecillitatis remedium instituta est,
» libentius usurpent. » (Giraldus, *Exposit. jur.
» pontif.* part. I, sect. 741.)

ADNOTATIO C.

Lib. IV. Decretal. Append. § I, n. 22; pag. 549.

FACULTATES EPISCOPIS HODIE CONCESSÆ AB APOS-
TOLICA SEDE.

Sacra Pœnitentaria hodie consuevit dare cuilibet
episcopo electo varias facultates quarum aliæ ad
triennium conceduntur, aliæ vero ad annum tan-
tum; facultatum deinde prorogationem tempore
debito quivis episcopus efflagitare debet. Inse-